

LIBER PRIMUS

R_1 v.1 Velocem potius reditum mirabere, lector,
 2 tam cito Romuleis posse carere bonis.
 3 Quid longum toto Romam venerantibus aevo !
 4 Nil umquam longum est, quod sine fine placet.
 5 O quantum et quotiens possum numerare beatos,
 6 nasci felici qui meruere solo,
 7 qui Romanorum procerum generosa propago
 8 ingenitum cumulant urbis honore decus !
 9 Semina virtutum demissa et tradita caelo
 10 non potuere aliis dignius esse locis.
 11 Felices etiam, qui proxima munera primis
 12 sortiti Latias obtinuerunt domos !
 13 Religiosa patet peregrinae curia laudi
 14 nec putat externos, quos decet esse suos ;
 15 ordinis imperio collegarumque fruuntur
 16 et partem genii, quem venerantur, habent :
 17 quale per aetheros mundani verticis axes
 18 concilium summi credimus esse dei.
 19 At mea dilectis fortuna revellitur oris
 20 indigenamque suum Gallica rura vocant.
 21 Illa quidem longis nimium deformia bellis,
 22 sed quam grata minus, tam miseranda magis.
 23 Securos levius crimen contemnere cives :
 24 privatam repetunt publica damna fidem.
 25 Praesentes lacrimas tectis debemus avitis ;
 26 prodest admonitus saepe dolore labor ;
 27 nec fas ulterius longas nescire ruinas,
 28 quas mora suspensae multiplicavit opis.
 29 Jam tempus laceris post saeva incendia fundis
 30 vel pastorales aedificare casas.
 31 Ipsi quin etiam fontes si mittere vocem
 32 ipsaque si possent arbuta nostra loqui,
 33 cessantem justis poterant urgere querelis
 34 et desiderii addere vela meis.
 35 Jamjam laxatis carae complexibus urbis
 36 vincimur - et serum vix toleramus iter.
 37 Electum pelagus, quoniam terrena viarum
 38 plana madent fluviis, cautibus alta rigent.
 39 Postquam Tuscus ager postquamque Aurelius agger
 40 perpressus Geticas ense vel igne manus
 41 non silvas domibus, non flumina ponte coercent ;
 42 incerto satius credere vela mari.
 43 Crebra relinquendis infigimus oscula portis ;
 44 inviti superant limina sacra pedes.
 45 Oramus veniam lacrimis et laude litamus,
 46 in quantum fletus currere verba sinit :

47 "Exaudi, regina tui pulcherrima mundi,
 48 inter sidereos, Roma, recepta polos ;
 49 exaudi, genetrix hominum genetrixque deorum :
 50 Non procul a caelo per tua templa sumus.
 51 Te canimus semperque, sinent dum fata, canemus :
 52 sospes nemo potest immemor esse tui.
 53 Obruerint citius scelerata oblivia solem
 54 quam tuus e nostro corde recedat honos.
 55 Nam solis radiis aequalia munera tendis,
 56 qua circumfusus fluctuat Oceanus ;
 57 volitur ipse tibi, qui continet omnia, Phoebus
 58 eque tuis ortos in tua condit equos.
 59 Te non flammigeris Libye tardavit arenis ;
 60 non armata suo reppulit ursa gelu :
 61 quantum vitalis natura tetendit in axes,
 62 tantum virtuti pervia terra tuae.
 63 Fecisti patriam diversis gentibus unam ;
 64 profuit injustis te dominante capi ;
 65 dumque offers victis proprii consortia juris,
 66 Urbem fecisti, quod prius orbis erat.
 67 Auctores generis Venerem Martemque fatemur,
 68 Aeneadum matrem Romulidumque patrem ;
 69 mitigat armatas victrix clementia vires,
 70 convenit in mores nomen utrumque tuos.
 71 Hinc tibi certandi bona parcendique voluptas :
 72 quos timuit superat, quos superavit amat.
 73 Inventrix oleae colitur vinique repertor
 74 et qui primus humo pressit aratra puer ;
 75 aras Paeoniam meruit medicina per artem,
 76 factus et Alcides nobilitate deus :
 77 Tu quoque, legiferis mundum complexa triumphis,
 78 foedere communi vivere cuncta facis.
 79 Te, dea, te celebrat Romanus ubique resessus
 80 pacificoque gerit libera colla jugo.
 81 Omnia perpetuos quae servant sidera motus
 82 nullum viderunt pulchrius imperium.
 83 Quid simile Assyriis connectere contigit armis ?
 84 Medi finitimos condomuere suos ;
 85 magni Parthorum reges Macetumque tyranni
 86 mutua per varias jura dedere vices.
 87 Nec tibi nascenti plures animaeque manusque,
 88 sed plus consilii iudiciiue fuit.
 89 Justis bellorum causis nec pace superba
 90 nobilis ad summas gloria venit opes.
 91 Quod regnas minus est quam quod regnare mereris :
 92 excedis factis grandia fata tuis.
 93 Percensere labor densis decora alta trophaeis,
 94 ut si quis stellas pernumerare velit,
 95 confunduntque vagos delubra micantia visus :
 96 ipsos crediderim sic habitare deos.
 97 Quid loquar aereo pendentis fornice rivos,
 98 qua vix imbriferas tolleret Iris aquas ;
 99 Hos potius dicas crevisse in sidera montes ;
 100 tale giganteum Graecia laudat opus ?
 101 Intercepta tuis conduntur flumina muris ;
 102 consumunt totos celsa lavacra lacus.
 103 Nec minus et propriis celebrantur roscida venis
 104 totaque nativo moenia fonte sonant.

105 Frigidus aestivalis hinc temperat halitus auras
 106 innocuamque levat purior unda sitim.
 107 Nempe tibi subitus calidarum gurgēs aquarum
 108 rupit Tarpeias hoste premente vias.
 109 Si foret aeternus, casum fortasse putarem :
 110 auxilio fluxit qui rediturus erat.
 111 Quid loquar inclusas inter laquearia silvas,
 112 vernula qua vario carmine ludit avis.
 113 Vere tuo numquam mulceri desinit annus ;
 114 deliciasque tuas victa tuetur hiems.
 115 Erige crinales lauros seniumque sacrati
 116 verticis in virides, Roma, refinge comas.
 117 Aurea turrigero radiant diademata cono
 118 perpetuosque ignes aureus umbo vomat.
 119 Abscondat tristem deleta injuria casum ;
 120 contemptus solidet vulnera clausa dolor.
 121 Adversis solemne tuis sperare secunda :
 122 exemplo caeli ditia damna subis.
 123 Astrorum flammae renovant occasibus ortus ;
 124 Lunam finiri cernis, ut incipiat.
 125 Victoris Brenni non distulit Allia poenam ;
 126 Samnis servitio foedera saeva luit ;
 127 post multas Pyrrhum clades superata fugasti ;
 128 flevit successus Hannibal ipse suos.
 129 Quae mergi nequeunt, nisu majore resurgunt
 130 exiliuntque imis altius acta vadis ;
 131 utque novas vires fax inclinata resunit,
 132 clarior ex humili sorte superna petis.
 133 Porrige victuras Romana in saecula leges
 134 solaque fatales non vereare colos,
 135 quamvis sedecies denis et mille peractis
 136 annus praeterea jam tibi nonus eat.
 137 Quae restant, nullis obnoxia tempora metis,
 138 dum stabunt terrae, dum polus astra feret.
 139 Illud te reparat, quod cetera regna resolvit :
 140 ordo renascendi est crescere posse malis.
 141 Ergo age, sacrilegae tandem cadat hostia gentis :
 142 submittant trepidi perfida colla Getae.
 143 Ditia pacatae dent vectigalia terrae ;
 144 impleat augustos barbara praeda sinus.
 145 Aeternum tibi Rhēnus aret, tibi Nilus inundet,
 146 altricemque suam fertilis orbis alat ;
 147 quin et fecundas tibi conferat Africa messes,
 148 sole suo dives, sed magis imbre tuo.
 149 Interea et Latiis consurgant horrea sulcis
 150 pinguiaque Hesperio nectare prela fluant.
 151 Ipse triumphali redimitus arundine Tibris
 152 Romuleis famulas usibus aptet aquas ;
 153 atque opulenta tibi placidis commercia ripis
 154 devehat hinc ruris, subvehat inde maris.
 155 Pande, precor, gemino pacatum Castore pontum ;
 156 temperet aequoream dux Cytherea viam,
 157 si non displicui, regerem cum jura Quirini,
 158 si colui sanctos consulique patres.
 159 Nam quod nulla meum strinxerunt crimina ferrum,
 160 non sit praefecti gloria, sed populi.
 161 Sive datur patriis vitam componere terris,
 162 sive oculis umquam restituere meis,

163 fortunatus agam votoque beatior omni,
 164 semper digneris si meminisse mei."
 165 His dictis iter arripimus ; comitantur amici.
 166 Dicere non possunt lumina sicca "vale".
 167 Jamque aliis Romam redeuntibus haeret eunti
 168 Rufius, Albini gloria viva patris,
 169 qui Volusi antiquo derivat stemmate nomen
 170 et reges Rutulos teste Marone refert.
 171 Hujus facundae commissa palatia linguae ;
 172 primaevus meruit principis ore loqui.
 173 Rexerat ante puer populos pro consule Poenos :
 174 aequalis Tyriis terror amorque fuit.
 175 Sedula promisit summos instantia fasces :
 176 Si fas est meritis fidere, consul erit.
 177 Invitum tristis tandem remeare coegi ;
 178 corpore divisos mens tamen una tenet.
 179 Tum demum ad naves gradior, qua fronte bicorni
 180 dividuus Tiberis dexteriora secat.
 181 Laevus inaccessis fluviis vitatur arenis ;
 182 hospitis Aeneae gloria sola manet.
 183 Et jam nocturnis spatium laxaverat horis
 184 Phoebus Chelarum palliodore polo.
 185 Cunctamur tentare salum portuque sedemus ;
 186 nec piget oppositis otia ferre moris,
 187 occidua infido dum saevit gurgite Plias
 188 dumque procellosi temporis ira cadit.
 189 Respectare juvat vicinam saepius urbem
 190 et montes visu deficiente sequi ;
 191 quaque duces oculi grata regione fruuntur,
 192 dum se quod cupiunt cernere posse putant.
 193 Nec locus ille mihi cognoscitur indice fumo,
 194 qui dominas arces et caput orbis habet
 195 (quamquam signa levis fumi commendat Homerus,
 196 dilecto quotiens surgit in astra solo),
 197 sed caeli plaga candidior tractusque serenus
 198 signat septenis culmina clara jugis.
 199 Illic perpetui soles atque ipse videtur,
 200 quem sibi Roma facit, purior esse dies.
 201 Saepius attonitae resonant circensibus aures ;
 202 nuntiat accensus plena theatra favor ;
 203 pulsato notae redduntur ab aethere voces,
 204 vel quia perveniunt vel quia fingit amor.
 205 Explorata fides pelagi ter quinque diebus
 206 dum melior lunae fideret aura novae.
 207 Tum discessurus studiis urbique remitto
 208 Palladium, generis spemque decusque mei ;
 209 facundus juvenis Gallorum nuper ab arvis
 210 missus Romani discere jura fori.
 211 Ille meae secum dulcissima vincula curae,
 212 filius affectu, stirpe propinquus habet.
 213 Cujus Aemericas pater Exuperantius oras
 214 nunc postliminium pacis amare docet ;
 215 leges restituit libertatemque reducit
 216 et servos famulis non sinit esse suis.
 217 Solvimus aurorae dubio, quo tempore primum
 218 agnosci patitur redditus arva color.
 219 Progredimur parvis per littora proxima cymbis,
 220 quorum perfugio crebra pateret humus.

221 Aestivos penetrent oneraria carbasa fluctus :
 222 Tutior autumnus mobilitate fugae.
 223 Alsia praelegitur tellus Pyrgique recedunt,
 224 nunc villae grandes, oppida parva prius.
 225 Jam Caeretanos demonstrat navita fines :
 226 aevo deposuit nomen Agylla vetus.
 227 Stringimus expugnatum et fluctu et tempore castrum :
 228 index semirutu porta vetusta loci.
 229 Praesidet exigui formatus imagine saxi,
 230 qui pastoralis cornua fronte gerit.
 231 Multa licet priscum nomen deleverit aetas,
 232 hoc Inui Castrum fama fuisse putat,
 233 seu Pan Tyrrenis mutavit Maenala silvis,
 234 sive sinus patrios incola Faunus init ;
 235 dum renovat largo mortalia semina fetu,
 236 fingitur in Venerem pronior esse deus.
 237 Ad Centumcellas forti defleximus austro ;
 238 tranquilla puppes in statione sedent.
 239 Molibus aequoreum concluditur amphitheatrum
 240 angustosque aditus insula facta tegit ;
 241 attollit geminas turres bifidoque meatu
 242 faucibus artatis pandit utrumque laterus.
 243 Nec posuisse satis laxo navalia portu :
 244 ne vaga vel tutas ventilet aura rates,
 245 interior medias sinus invitatus in aedes
 246 instabilem fixis aera nescit aquis ;
 247 qualis in Euboicis captiva natatibus unda
 248 sustinet alterno brachia lenta sono.
 249 Nosse juvat Tauri dictas de nomine Thermas,
 250 nec mora difficilis milibus ire tribus.
 251 Non illic gustu latices vitiantur amaro
 252 lymphaque fumifico sulphure tincta calet :
 253 purus odor mollisque sapor dubitare lavantem
 254 cogit, qua melius parte petantur aquae.
 255 Credere si dignum famae, flagrantia taurus
 256 investigato fonte lavacra dedit,
 257 ut solet excussis pugnam praeludere glebis,
 258 stipite cum rigido cornua prona terit :
 259 sive deus faciem mentitus et arma juveni,
 260 noluit ardentis dona latere soli ;
 261 qualis Agenorei rapturus gaudia furti
 262 per freta virgineum sollicitavit onus.
 263 Ardua non solos deceant miracula Graios.
 264 Auctorem pecudem fons Heliconis habet :
 265 elicitas simili credamus origine nymphas,
 266 Musarum latices ungula fodit equi :
 267 haec quoque Pieriis spiracula comparat antris
 268 carmine Messalae nobilitatus ager ;
 269 intrantemque capit discedentemque moratur
 270 postibus adfixum dulce poema sacris.
 271 Hic est qui primo seriem de consule ducit,
 272 usque ad Publicolas si redeamus avos ;
 273 hic et praefecti nutu praetoria rexit,
 274 sed menti et linguae gloria major inest ;
 275 hic docuit, qualem poscat facundia sedem :
 276 ut bonus esse velit, quisque disertus erit.
 277 Roscida puniceo fulsere crepuscula caelo :
 278 pandimus obliquo lintea flexa sinu.

279 Paulisper litus fugimus Munione vadosum :
 280 suspecto trepidant ostia parva salo.
 281 Inde Graviscarum fastigia rara videmus,
 282 quas premit aestivae saepe paludis odor ;
 283 sed nemorosa viret densis vicinia lucis
 284 pineaque extremis fluctuat umbra fretis.
 285 Cernimus antiquas nullo custode ruinas
 286 et desolatae moenia foeda Cosae.
 287 Ridiculam cladis pudet inter seria causam
 288 promere, sed risum dissimulare piget :
 289 dicuntur cives quondam migare coacti
 290 muribus infestos deseruisse lares ;
 291 credere maluerim Pygmaeae damna cohortis
 292 et conjuratos in sua bella grues.
 293 Haud procul hinc petitur signatus ab Hercule portus ;
 294 vergentem sequitur mollior aura diem.
 295 Inter castrorum vestigia sermo retexit
 296 Sardoam Lepido praecipitante fugam.
 297 Littore namque Cosae cognatos depulit hostes
 298 virtutem Catuli Roma secuta ducis.
 299 Ille tamen Lepidus pejor, civilibus armis
 300 qui gessit sociis impia bella tribus,
 301 qui libertatem Mutinensi Marte receptam
 302 obruit auxiliis urbe pavente novis.
 303 Insidias paci moliri tertius ausus
 304 tristibus excepit congrua facta reis.
 305 Quartus Caesareo dum vult inrepere regno,
 306 incesti poenam solvit adulterii.
 307 Nunc quoque - sed melius de nostris fama queretur :
 308 iudex posteritas semina dira notet.
 309 Nominibus certos credam decurrere mores ?
 310 Moribus an potius nomina certa dari ?
 311 Quidquid id est, mirus Latiis annalibus ordo,
 312 quod Lepidum totiens reccidit ense malum.
 313 Necdum decessis pelago permittimur umbris ;
 314 natus vicino vertice ventus adest.
 315 Tenditur in medias mons Argentarius undas
 316 ancipitique jugo caerulea curva premit.
 317 Transversos colles bis ternis milibus artat ;
 318 circuitu ponti ter duodena patet :
 319 qualis per geminos fluctus Ephyreius Isthmos
 320 Ionias bimari littore findit aquas.
 321 Vix circumvehimur sparsae dispendia rupis,
 322 nec sinuosa gravi cura labore caret ;
 323 mutantur totiens vario spiramina flexu :
 324 quae modo profuerant vela, repente nocent.
 325 Eminus Igilii silvosa cacumina miror,
 326 quam fraudare nefas laudis honore suae.
 327 Haec proprios nuper tutata est insula saltus
 328 sive loci ingenio seu domini genio,
 329 gurgite cum modico victricibus obstitit armis
 330 tamquam longinquo dissociata mari.
 331 Haec multos lacera suscepit ab urbe fugatos,
 332 hic fessis posito certa timore salus.
 333 Plurima terreno populaverat aequora bello
 334 contra naturam classe timendus eques :
 335 unum mira fides vario discrimine portum
 336 tam prope Romanis, tam procul esse Getis.

337 Tangimus Umbronem ; non est ignobile flumen,
 338 quod tuto trepidas excipit ore rates :
 339 tam facilis pronis semper patet alveus undis,
 340 in pontum quotiens saeva procella ruit.
 341 Hic ego tranquillae volui succedere ripae,
 342 sed nautas avidos longius ire sequor.
 343 Sic festinantem ventusque diesque reliquit ;
 344 nec proferre pedem nec revocare licet.
 345 Littorea noctis requiem metamur arena ;
 346 dat vespertinos myrtea silva focos.
 347 Parvula subjectis facimus tentoria remis,
 348 transversus subito culmine contus erat.
 349 Lux aderat : Tonsis progressi stare videmur,
 350 sed cursum prorae terra relictata probat.
 351 Occurrit Chalybum memorabilis Ilva metallis,
 352 qua nihil uberius Norica gleba tulit ;
 353 non Biturix largo potior strictura camino,
 354 nec quae Sardónico cespitate massa fluit.
 355 Plus confert populis ferri fecunda creatrix
 356 quam Tartesiaci glarea fulva Tagi.
 357 Materies vitiis aurum letale parandis,
 358 auri caecus amor ducit in omne nefas :
 359 aurea legitimas expugnant munera taedas
 360 virgineosque sinus aureus imber emit,
 361 auro victa fides munitas decipit urbes,
 362 auri flagitiis ambitus ipse furit.
 363 At contra ferro squalentia rura coluntur,
 364 ferro vivendi prima reperta via est ;
 365 saecula semideum, ferrati nescia Martis,
 366 ferro crudeles sustinere feras :
 367 humanis manibus non sufficit usus inermis,
 368 si non sint aliae ferrea tela manus.
 369 His mecum pigri solabar taedia venti,
 370 dum resonat variis vile celeuma modis.
 371 Lassatum cohibet vicina Faleria cursum,
 372 quamquam vix medium Phoebus haberet iter.
 373 Et tum forte hilares per compita rustica pagi
 374 mulcebant sacris pectora fessa jocis.
 375 Illo quippe die tandem revocatus Osiris
 376 excitat in fruges germina laeta novas.
 377 Egressi villam petimus lucoque vagamur :
 378 stagna placent saepto deliciosa vado.
 379 Ludere lascivos intra vivaria pisces
 380 gurgitis inclusi laxior unda sinit.
 381 Sed male pensavit requiem stationis amoenae
 382 hospite conductor durior Antiphate.
 383 Namque loci querulus curam Judaeus agebat,
 384 humanis animal dissociatae cibis.
 385 Vexatos frutices, pulsatas imputat algas
 386 damnaque libatae grandia clamat aquae.
 387 Reddimus obscenae convicia debita genti
 388 quae genitale caput propudiosa metit :
 389 radix stultitiae, cui frigida sabbata cordi,
 390 sed cor frigidius religione sua.
 391 Septima quaeque dies turpi damnata veterno,
 392 tamquam lassati mollis imago dei.
 393 Cetera mendacis deliramenta catastae
 394 nec pueros omnes credere posse reor.

395 Atque utinam numquam Judaea subacta fuisset
 396 Pompeii bellis imperioque Titi !
 397 Latius excisae pestis contagia serpunt
 398 victoresque suos natio victa premit.
 399 Adversus surgit Boreas, sed nos quoque remis
 400 surgere certamus, cum tegit astra dies.
 401 Proxima securum reserat Populonia litus,
 402 qua naturalem ducit in arva sinum.
 403 Non illic positas extollit in aethera moles
 404 lumine nocturno conspicienda Pharos,
 405 sed speculam validae rupis sortita vetustas,
 406 qua fluctus domitos arduus urget apex,
 407 castellum geminos hominum fundavit in usus,
 408 praesidium terris indiciumque fretis.
 409 Agnosci nequeunt aevi monumenta prioris :
 410 grandia consumpsit moenia tempus edax.
 411 Sola manent interceptis vestigia muris,
 412 ruderibus latis tecta sepulta jacent.
 413 Non indignemur mortalia corpora solvi :
 414 cernimus exemplis oppida posse mori.
 415 Laetior hic nostras crebrescit fama per aures :
 416 consilium Romam paene redire fuit.
 417 Hic praefecturam sacrae cognoscimus urbis
 418 delatam meritis, dulcis amice, tuis.
 419 Optarem verum complecti carmine nomen,
 420 sed quosdam refugit regula dura pedes :
 421 cognomen versu veniet, carissime Rufi ;
 422 illo te dudum pagina nostra canit.
 423 Festa dies pridemque meos dignata penates
 424 poste coronato vota secunda colat.
 425 Exornent virides communia gaudia rami :
 426 provecta est animae portio magna meae.
 427 Sic mihi, sic potius placeat geminata potestas ;
 428 per quem malueram, rursus honore fruor.
 429 Currere curamus velis Aquilone reverso,
 430 cum primum roseo fulsit Eous equo.
 431 Incipit obscuros ostendere Corsica montes
 432 nubiferumque caput concolor umbra levat :
 433 sic dubitanda solet gracili vanescere cornu
 434 defessisque oculis luna reperta latet.
 435 Haec ponti brevitatis auxit mendacia famae :
 436 armentale ferunt quippe natasse pecus,
 437 tempore Cynnaeas quo primum venit in oras
 438 forte secuta vagum femina Corsa bovem.
 439 Processu pelagi jam se Capraria tollit ;
 440 squallet lucifugis insula plena viris.
 441 Ipsi se monachos Graio cognomine dicunt,
 442 quod soli nullo vivere teste volunt.
 443 Munera fortunae metuunt, dum damna verentur.
 444 Quisquam sponte miser, ne miser esse queat ?
 445 Quaenam pervasi rabies tam stulta cerebri,
 446 dum mala formides, nec bona posse pati ?
 447 Sive suas repetunt factorum ergastula poenas,
 448 tristia seu nigro viscera felle tument.
 449 Sic nimiae bilis morbum assignavit Homerus
 450 Bellerophonteis sollicitudinibus ;
 451 nam juveni offenso saevi post tela doloris
 452 dicitur humanum displicuisse genus.

453 In Volaterranum, vero Vada nomine, tractum
 454 ingressus dubii tramitis alta lego.
 455 Despectat prorae custos clavumque sequentem
 456 dirigit et puppim voce monente regit.
 457 Incertas gemina discriminat arbore fauces
 458 defixasque offert limes uterque sudes.
 459 Illis proceras mos est adnectere lauros
 460 conspicuas ramis et fruticante coma,
 461 ut praebente viam densi symplegade limi
 462 servet inoffensas semita clara notas.
 463 Illic me rapidus consistere corus adegit,
 464 qualis silvarum frangere lustra solet.
 465 Vix tuti domibus saevos toleravimus imbres :
 466 Albini patuit proxima villa mei.
 467 Namque meus, quem Roma meo subjunxit honori,
 468 per quem jura meae continuata togae.
 469 Non exspectatos pensavit laudibus annos,
 470 vitae flore puer, sed gravitate senex.
 471 Mutua germanos junxit reverentia mores
 472 et favor alternis crevit amicitiiis.
 473 Praetulit ille meas, cum vincere posset, habenas,
 474 at decessoris major amore fuit.
 475 Subjectas villae vacat aspectare salinas ;
 476 namque hoc censetur nomine salsa palus,
 477 qua mare terrenis declive canalibus intrat
 478 multifidosque lacus parvula fossa rigat.
 479 Ast ubi flagrantis admovit Sirius ignes,
 480 cum pallent herbae, cum sitit omnis ager,
 481 tum cataractarum claustris excluditur aequor,
 482 ut fixos latices torrida duret humus.
 483 Concipiunt acrem nativa coagula Phoebum
 484 et gravis aestivo crusta calore coit ;
 485 haud aliter quam cum glacie riget horridus Hister
 486 grandiaque adstricto flumine plaustra vehit.
 487 Rimetur solitus naturae expendere causas
 488 inque pari dispar fomite quaerat opus :
 489 juncta fluenta gelu conspecto sole liquescunt
 490 et rursus liquidae sole gelantur aquae.
 491 O quam saepe malis generatur origo bonorum !
 492 Tempestas dulcem fecit amara moram :
 493 Victorinus enim, nostrae pars maxima mentis,
 494 congressu explevit mutua vota suo.
 495 Errantem Tuscis considerare compulit agris
 496 et colere externos capta Tolosa lares.
 497 Nec tantum duris nituit sapientia rebus :
 498 pectore non alio prosperiora tulit.
 499 Conscius Oceanus virtutum, conscia Thule
 500 et quaecumque ferox arva Britannus arat,
 501 qua praefectorum vicibus frenata potestas
 502 perpetuum magni foenus amoris habet.
 503 Extremum pars illa quidem discessit in orbem,
 504 sed tamquam media rector in urbe fuit.
 505 Plus palmae est illos inter voluisse placere,
 506 inter quos minor est displicuisse pudor.
 507 Illustris nuper sacrae comes additus aulae
 508 contempsit summos ruris amore gradus.
 509 Hunc ego complexus ventorum adversa fefelli,
 510 dum videor patriae jam mihi parte frui.

511 Lutea protulerat sudos Aurora jugales :
 512 antemnas tendi littoris aura jubet.
 513 Inconcussa vehit tranquillus aplustria flatus,
 514 mollia securo vela rudente tremunt.
 515 Adsurgit ponti medio circumflua Gorgon
 516 inter Pisanum Cyrnaicumque latus.
 517 Adversus scopulos, damni monumenta recentis :
 518 perditus hic vivo funere civis erat.
 519 Noster enim nuper juvenis majoribus amplis,
 520 nec censu inferior conjugiove minor,
 521 impulsus furiis homines terrasque reliquit
 522 et turpem latebram credulus exul agit.
 523 Infelix putat illuvie caelestia pasci
 524 seque premit laesis saevior ipse deis.
 525 Num, rogo, deterior Circaeis secta venenis ?
 526 Tunc mutabuntur corpora, nunc animi.
 527 Inde Triturritam petimus : sic villa vocatur,
 528 quae latet expulsis insula paene fretis ;
 529 namque manu junctis procedit in aequora saxis,
 530 quique domum posuit, condidit ante solum.
 531 Contiguum stupui portum, quem fama frequentat
 532 Pisarum emporio divitiisque maris.
 533 Mira loci facies : pelago pulsatur aperto,
 534 inque omnes ventos littora nuda patent ;
 535 non ullus tegitur per brachia tuta recessus,
 536 Aeolias possit qui prohibere minas,
 537 sed procera suo praetexitur alga profundo
 538 molliter offensae non nocitura rati,
 539 et tamen insanas cedendo interrigit undas
 540 nec sinit ex alto grande volumen agi.
 541 Tempora navigii clarus reparaverat Eurus,
 542 sed mihi Protadium visere cura fuit.
 543 Quem qui forte velit certis cognoscere signis,
 544 virtutis speciem corde vidente petat.
 545 Nec magis efficiet similem pictura colore
 546 quam quae de meritis mixta figura venit.
 547 Aspicienda procul certo prudentia vultu
 548 formaque justitiae suspicienda micat.
 549 Sit fortasse minus, si laudet Gallia civem :
 550 testis Roma sui praesulis esse potest.
 551 Substituit patriis mediocres Umbria sedes :
 552 Virtus fortunam fecit utramque parem.
 553 Mens invicta viri pro magis parva tuetur,
 554 pro parvis animo magna fuere suo.
 555 Exiguus regum rectores caespes habebat
 556 et Cincinnatos jugera pauca dabant :
 557 haec etiam nobis non inferiora feruntur
 558 vomere Serrani Fabriciique foco.
 559 Puppibus ergo meis fida in statione locatis
 560 ipse vehor Pisas, qua solet ire pedes.
 561 Praebet equos, offert etiam carpenta tribunus,
 562 ex commilitio carus et ipse mihi,
 563 officiis regerem cum regia tecta magister
 564 armigerasque pii principis excubias.
 565 Alpheae veterem contemplor originis urbem,
 566 quam cingunt geminis Arnus et Ausur aquis.
 567 Conum pyramidis coeuntia flumina ducunt :
 568 intratur modico frons patefacta solo.

569 Sed proprium retinet communi in gurgite nomen
570 et pontum solus scilicet Arnus adit.
571 Ante diu quam Trojugenas fortuna penates
572 Laurentinorum regibus insereret,
573 Elide deductas suscepit Etruria Pisas
574 nominis indicio testificata genus.
575 Hic oblata mihi sancti genitoris imago,
576 Pisano proprio quam posuere foro.
577 laudibus amissi cogor lacrimare parentis ;
578 fluxerunt madidis gaudia maesta genus.
579 Namque pater quondam Tyrrhenis praefuit arvis,
580 fascibus et senis credita jura dedit.
581 Narrabat, memini, multos emensus honores,
582 Tuscorum regimen plus placuisse sibi ;
583 nam neque opum curam, quamvis sit magna, sacrarum
584 nec jus quaesturae grata fuisse magis ;
585 ipsam, si fas est, postponere praefecturam
586 pronior in Tuscos non dubitabat amor.
587 Nec fallebatur, tam carus et ipse probatis :
588 aeternas grates mutua cura canit,
589 constantemque sibi pariter mitemque fuisse
590 insinuant natis, qui meminere, senes.
591 Ipsum me gradibus non degenerasse parentis
592 gaudent et duplici sedulitate fovent.
593 Haec eadem, cum Flaminiae regionibus irem,
594 splendoris patrii saepe reperta fides :
595 Famam Lachanii veneratur numinis instar
596 inter terrigenas Lydia tota suos.
597 Grata bonis priscos retinet provincia mores
598 dignaque rectores semper habere bonos,
599 qualis nunc Decius, Lucilli nobile pignus,
600 per Corythi populos arva beata regit.
601 Nec mirum, magni si redditus indole nati
602 felix tam simili posteritate pater.
603 Hujus vulnificis satira ludente Camenis
604 nec Turnus potior nec Juvenalis erit ;
605 restituit veterem censoria lima pudorem,
606 dumque malos carpit, praecipit esse bonos.
607 Non olim sacri justissimus arbiter auri
608 circumstantes reppulit Harpyias ?
609 Harpyias, quarum discerpitur unguibus orbis,
610 quae pede glutineo quod tetigere trahunt,
611 quae luscum faciunt Argum, quae Lyncea caecum :
612 inter custodes publica furta volant.
613 Sed non Lucillum Briareaia praeda fefellit
614 totque simul manibus restitit una manus.
615 Jamque Triturritam Pisaea ex urbe reversus
616 aptabam nitido pendula vela Noto,
617 cum subitis tectus nimbis insorduit aether ;
618 sparserunt radios nubila rupta vagos.
619 Substitimus. Quis enim sub tempestate maligna
620 insanituris audeat ire fretis ?
621 Otia vicinis terimus navalia silvis
622 sectandisque juvat membra movere feris.
623 Instrumenta parat venandi villicus hospes
624 atque olidum doctas nosse cubile canes.
625 Funditur insidiis et rara fraude plagarum
626 terribilisque cadit fulmine dentis aper,

627 quem Meleagrei vereantur adire lacerti,
 628 qui laxet nodos Amphitryoniadae.
 629 Tum responsuros persultat bucina colles
 630 fitque reportando carmine praeda levis.
 631 Interea madidis non desinit Africus alis
 632 continuos picea nube negare dies.
 633 Jam matutinis Hyades occasibus udae ;
 634 jam latet hiberno conditus imbre Lepus,
 635 exiguum radiis, sed magnis fluctibus, astrum,
 636 quo madidam nullus navita linquat humum ;
 637 namque procelloso subjungitur Orioni
 638 aestiferumque Canem roscida praeda fugit.
 639 Vidimus excitis pontum favescere arenis
 640 atque eructato vertice rura tegi,
 641 qualiter Oceanus mediis infunditur agris,
 642 destituenda vago cum premit arva salo,
 643 sive alio refluxus nostro concluditur orbe,
 644 sive corusca suis sidera pascit aquis.

LIBER SECUNDUS

R_2 v.1 Nondum longus erat nec multa volumina passus,
 2 jure suo poterat longior esse liber ;
 3 taedia continuo timuit cessura labori,
 4 sumere ne lector juge paveret opus.
 5 Saepe cibus affert serus fastidia finis,
 6 gratior est modicis haustibus unda siti :
 7 intervalla viae fessis praestare videtur
 8 qui notat inscriptus milia crebra lapis.
 9 Partimur trepidum per opuscula bina ruborem,
 10 quem satius fuerat sustinuisse semel.
 11 Tandem nimbose maris obsidione solutis
 12 Pisano portu contigit alta sequi.
 13 Arridet placidum radiis crispantibus aequor
 14 et sulcata levi murmurat unda sono.
 15 Incipiunt Appennini devexa videri,
 16 qua fremit aereo monte repulsa Thetis.
 17 Italiam rerum dominam qui cingere visu
 18 et totam pariter cernere mente velit,
 19 inveniet quernae similem procedere frondi
 20 artatam laterum conveniente sinu.
 21 Milia per longum decies centena teruntur
 22 a Ligurum terris ad freta Sicaniae ;
 23 in latum variis damnosa amfractibus intrat
 24 Tyrrheni rabies Hadriacique salis.
 25 Qua tamen est juncti maris angustissima tellus,
 26 triginta et centum milia sola patet.
 27 Diversas medius mons obliquatur in undas,
 28 qua fert atque refert Phoebus uterque diem :
 29 urget Dalmaticos Eoo vertice fluctus
 30 caerulaque occiduis frangit Etrusca jugis.
 31 Si factum certa mundum ratione fatemur
 32 consiliumque dei machina tanta fuit,
 33 excubiis Latiis praetexuit Appenninum
 34 claustraque montanis vix adeunda viis.
 35 Invidiam timuit natura parumque putavit
 36 Arctois Alpes opposuisse minis,

37 sicut vallavit multis vitalia membris
38 nec semel inclusit quae pretiosa tulit.
39 Jam tum multiplici meruit munimine cingi
40 sollicitosque habuit Roma futura deos.
41 Quo magis est facinus diri Stilichonis acerbum,
42 proditor arcani quod fuit imperii.
43 Romano generi dum nititur esse superstes,
44 crudelis summis miscuit ima furor,
45 dumque timet, quidquid se fecerat ipse timeri,
46 immisit Latiae barbara tela neci.
47 Visceribus nudis armatum condidit hostem
48 illatae cladis liberiore dolo.
49 Ipsa satellitibus pellitis Roma patebat
50 et captiva prius quam caperetur erat.
51 Nec tantum Geticis grassatus proditor armis :
52 ante Sibyllinae fata cremavit opis.
53 Odimus Althaeam consumpti funere torris,
54 Nisaeum crinem flere putantur aves ;
55 at Stilicho aeterni fatalia pignora regni
56 et plenas voluit praecipitare colos.
57 Omnia Tartarei cessent tormenta Neronis ;
58 consumat Stygias tristior umbra faces ;
59 hic immortalem, mortalem perculit ille,
60 hic mundi matrem perculit, ille suam.
61 Sed diverticulo fuimus fortasse loquaces :
62 carmine propositum jam repetamus iter.
63 Advehimur celeri candentia moenia lapsu ;
64 nominis est auctor sole corusca soror.
65 Indigenis superat ridentia lilia saxis
66 et levi radiat picta nitore silex ;
67 dives marmoribus telus, quae luce coloris
68 provocat intactas luxuriosa nives.